tis particulares sine confirmatione Superioris civibus præscribere potest. In hanc sententiam inclinant Card. de Luca *de Judiciis disc.* 35. *n.* 61. Coler. *de Proc.*
34. *Execu. parte* 1. *Cap.* 3. *n.* 12. Subquæres, quali confirmatione indigeant, expressâ? vel tacitâ per lapsum longi temporis? & quid intersit? ℞. Tacitam sufficere, sed expressam operari, ut valeant contra Jus Commune. Card.
35. de Luca *d. loco n.* 62. Si sit confirmatio Principis necessaria, Statuta à civitate municipali facta post confirmationem revocari non possunt, dat enim talis confirmatio vim & esse Statuto.

36. Secundò & ultimò: Statuta facere possunt Universitates, Collegia Opificum, vel Mercatorum circa materiam universitatem, vel Collegium concernentem, vel ad negotia communitatis pertinentem, qualia sunt,
37. in Tribubus, die Innungs-Articulen / Gaffel-Gesätze ꝛc. sed hæc Statuta ut vim Juris habeant, à Magistratu loci confirmari debent, vide *Recessum Imp. de Anno* 1671. §. Unabstellung der Mißbrauch der Handwercker betreffend.
38. Absque consensu tamen Superioris Sodales Tribuum se per modum Conventionis firmiter obligare possunt, *L. ult. ff. de Collegiis & Corporibus.* Mull.
40. ad Struv. *Exercit.* 2. *t.* 42. non tamen hæc Statuta utilitati publicæ nociva esse debent. Carpz. *parte* 2. *Constit.* 6. *defin.* 10. *n.* 1. *& seqq.*

CAPUT II.

DE
Materia Statutorum.

THESIS III.

N. I.

Statutorum Materiam in eo consistere, quod Statutum ordinat, permittit, prohibet, aut punit, nemo erit, qui dubitet, unde & *Juris-Consult. in L.* 7. *ff. de Legibus* dicit: *Legis virtus hæc est, imperare, permittere, aut punire*, atque Engel. ad *Jus Cano. de Constit. Principum* §. 2. *n.* 1. *in princip.* materiam legis vocat, quæ justè imperatur, prohibetur, aut permittitur, & hinc à licitâ Statuti materiâ atque justâ ratione validitas vel invaliditas Statuti decernenda est, ideóque Statuta, nisì licita iis subsit materia, & rationabilia, sint, qualia quidem regulariter præsumuntur, Mæv. *p.* 7. *decis.* 53. *n.* 13. Invalida sunt, *L.* 2. *C. quæ sit longa consuet.*, nec à Judice observanda, adeóque nonnunquam quædam Statuta à Camerâ Imperiali, in quâ aliàs secundùm cujusque loci Statuta & laudabiles consuetudines judicari debet, vid. *Ord. Cameral. parte* 1. §. 13. ùt irrationabilia reprobantur. Gail. *Lib.* 1. *obs.* 18. ubi Stsuta, quæ in quibusdam locis Marinis vigent, vi quorum, facto naufragio, bona, quæ sunt in navi, cadant in commissum, & ad Dominum fluminis pertinent, à Camerâ Imperiali pro injustis declarata fuisse, imò eam mandata sinè clausulâ contra utentes illis decernere refert; de Jure etiam Canon. pœna excommunicationis in spoliatores naufragium passorum cadit per *Cap. Excommunic. extra. de Raptor.* Eodem modo *Constit. Carol. de Anno*
2. 1548. Statuta majores, quàm quinque in singula centum sumere usuras permittentia irrationabilitatis vitio damnat, & nequidem Principes Imperii Judæis in suis territoriis majores usuras permittere posse, dicit Gail. *Lib.* 2. *obs.* 5. *in fin.* Sub quâ Constit. Carol. tamen non cadunt Statuta mercatoribus plures, imò decem & ultra usuras permittentia, illa enim irrationabilia argui non possunt. Molin. *de Usu quæst* 84. *n.* 527. *Constit. quoque Criminalis Ca-*
3. *roli quinti art.* 158. *in verb.* Eine böse unvernünfftige Gewohnheit und Gesätz. injusta rejicit Statuta vel consuetudines, quæ judici res à fure surreptas sibi
4. retinere, nec partibus læsis restituere, permittunt. Similia injusta ac inva-

 lida

lida Statuta refert Reigerus *in suo Thes. Juris. Lit. St. in addit. n.* 17. Ubi Statutum, quo plus offerentibus officia publica vendi permittitur, invalidum dicit cum Stam. *de servit. person. n.* 666. pariformiter Mynsing. *Cent.* 1. *obs.* 14.

5. Statutum omnem appellationem interdicens, Argel. *de Acquir. poss. p.* 117. *n.* 19. Statutum omnem testandi facultatem adimens pro irrationabilibus declarant, pluraque alia ejusmodi sortis Statuta recenset Mæv. *adjus Lubec.*

6. *lib.* 4. *tit.* 13. *n.* 39. *& seqq.* Ad validitatem Statuti ergo justa requiritur ratio atque licita materia, licèt aliàs Statutum à jure communi sit valde exorbitans aut in totum contrarians, qualia quamplurima in hac Urbe & vicinis

7. patriis observari quotidiana docet experientia; ad ea enim refero. Statutum communionem bonorum inducens, vigent in hac urbe *vid. Statut. Colo-*

8. *nienf. art* 10., & à Gail. *lib.* 2. *obs.* 78. confirmatur. Statutum, quod fundatur *in art.* 13. *Statut. Colonienf.* quo liberi cum ultimo superstite bona dividere possunt, & quidem, ut hæreditas tam mo- quàm immobilaris in tres dividatur partes, quarum si pater ultimus superstes sit, accipiet duas partes, liberi 3tiam; casu verò, quo mater supervixerit, accipiat mater unam, liberi duas partes, quod idem refert Reig. *in thes. juris Lit. St. in additio. n.* 4.

9. Statutum, quod mortuo filio relictis fratribus & sororibus cum parentibus primi gradus, soli parentes exclusis fratribus & sororibus succedant in bonis defuncti filii, nisi priùs cum Filio divisérint, viget in hac urbe & extat

10. in Amplissimi Magistratûs Nostri Colonienfis *Edicto* summariissimi. Statutum, quod non valeat fideicommissum neque substitutio fideicommissaria

11. ultra 3tium gradum fundatum *in art.* 6. *Statut. Colonienfium.* Statutum, quod in hæredem continuetur possessio absque apprehensione, fundatum in dicto Amplissimi Magistratûs nostri Colonien. Edicto Summariissimi. De quo Sta-

12. tuto quòque mentionem facit Reig. *d. L. n.* 122. Statutum, quod libris mercatorum nulla valeat opponi exceptio, confirmat praxis nostra civica, taléque valere sustinet Gail. *lib.* 2. *obs.* 20.

13. Statutum quod refert Voetz. *in Hist. Juliac.* 112. quod nobiles fœminæ extantibus masculis acceptâ dote ab hæreditate excludantur, idem habetur im Ertzstifft Cölnischer Rechts-Ordnung *tit.* 6. §. 1. *in fine.*

14. Statutum quod exhibent Ordin. Juliac. *C.* 95. die Ertzstifft Cölnische Rechts-Ordnung *tit.* 8. §. die Fahrnûs / ubi conjugibus certa attribuitur portio hæreditaria, quæ portio nec testamento invito conjuge minui, minùs adimi potest, Voetz. *in Hist. Juliac. n.* 111. *ibidem ita judicatum esse referens in causa appellationis Brucken contra Dudenrath Anno* 1606. 17. *Jan.* Nec fideicommisso gravari Carpz. *p.* 3. *Constit.* 7. *definit.* 1. bene tamen inter Conjuges pactis dotalibus mutari, ut, si certa conjugi sit assignata portio, ad portionem hære-

15. ditariam reclamare non possit, nequidem prætextu læsionis, Carpz. *d. L.*

Statutum extans *in Cap.* 74. *Ord. Juliac.* quod, ubi plures ex diversis Matrimoniis liberi adsunt, cujuslibet Matrimonii liberi succedant soli in bonis quolibet Matrimonio illatis Patrimonialibus, obventis, acquisitis immobilibus, mobilibus ad liberos ultimi Matrimonii spectantibus, ex quibus debita personalia exsolvere debent.

16. Statutum inducens jus retractûs, quod viget in Ducatu Juliæ & Mont. ita referente Voetz. *dil.* & in Archi-Diœcesi Colon. vid. Ertz-Stifft-Cöllnische Lands-Ordnung *tit.* 15. §. 1. Innumeraque alia Statuta Juri communi contrariantia vel ab illo valde exorbitantia referunt Auth.; quæ tamen strictè interpretari debent, Gail. *lib.* 2. *obs.* 33. *n.* 9. neque de persona ad personam, neque de casu ad casum, neque de loco ad locum, ne quidem ex identitate rationis extendenda. Mæv. *p.* 3. *decis.* 30. *n.* 4. *& p.* 2. *decis.* 40. *n.* 5. Carpz. *p.* 2. *C.* 6. *def.* 3 Sed ita interpretanda sunt, ut vel minimum operentur effectum contra jus commune, Reig. *sæped. loc. n.* 25. Brunn. *in Cod. lib.* 3. *tit.* 41. *L.* 2.

An

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

17. An autem Statutum, quo legitima liberorum minui vel penitus tolli vult, irrationabile sit, an verò validum, inter DDres confligitur, quorum nonnulli legitimam Statuto penitus tolli posse volunt, eo ducti argumento, quòd legitima sit Jure civili introducta, *Authen. de Triente & semisse* §. 1. Quod autem Jure Civili statutum est, ab alio Jure Civili vel Statutario tolli potest. Natta *Cons.* 308. *n.* 5. Panorm. *cons.* 75. *n.* 9. Zoes. *de inoff. test. n.* 109. Contrarium defendunt alii, legitimam scilicet nec minui, nec tolli posse, quia legitima liberorum Jure naturæ & loco alimentorum, quæ nec Statuto tolli possunt, debeatur, Brun. *ad auth. hoc amplius Cod. de Fideicommissis.* Menoch. *Cons.* 250, *n.* 9.

18. Ego, etsi primam de Jure veriorem judicem, mediam tamen sententiam, quòd legitima Statuto minui, non penitus tolli possit, ut æquiorem & in praxi magis communem sequi malo cum Gail. *Lib.* 2. *obs.* 122. Carpz. *part.* 3. *const.* 12. *def.* 5. Heeser *part.* 2. *loco* 30. *n.* 370. *innumerisque aliis.* Debetur enim legitima loco alimentorum, & hinc in totum tolli non potest. *L. un. ff. de Bonis damn. L. Scripto. ff. Unde liberi.* In hanc Sententiam quòque abiit Cam. Imperialis, & ita judicâsse in causâ Dominæ Comitissæ Mariæ de Wertheim contra Tutores Nepotis ex Fratre Georg. Comite de Wertheim refert Mynf.

19. *Cent.* 5. *obs.* 43. Combinari tamen posse puto sententias Author. contrariantium, si legitimam Statuto tolli posse, tunc verum esse dicam, si aliundè liberis de legitima vel competentibus alimentis provisum sit; secus si de sufficientibus aliunde liberis provisum non sit alimentis.

20. *Quæres.* An restitutio in integrum Statuto vel Lege particulari penitus tolli possit, aut prohiberi? irrationabilitatis tale Statutum argui posse videtur,

21. 1*mò*, quia hoc Statutum restitutionem in integrum prohibens tacitè permitteret enormem læsionem, adeóque rei illicitæ occasionem daret, atque ita valere non posse, docet Gail. *L.* 1. *obs.* 18. *n.* 2. Durandus *in Tractatu de Arte*

22. *test. tit.* 1. *concl.* 14. 2*dò*, quia privilegia piæ causæ Statuto tolli non possunt. *Auth. Cod. de Sacrosancta Ecclesia.* Privilegia autem ætatis & piæ causæ

23. æquiparantur, Bald. *Cons.* 465. *lib.* 1. *n.* 112. 3*tiò*, Quia restitutio in integrum fundata est in naturali æquitate; contra Jura naturalia autem nullum Sta-

24. tutum condi potest, §. *Inst. Sed ea. de Jure naturali.* Contrariam tamen sententiam, quòd restitutio in integrum Statuto mutari, limitari vel in toto tolli possit, de jure veriorem teneo, quia beneficium restitutionis in integrum Jure Prætorio introductum, atque ita Jure Statutario tolli potest, in hanc sententiam concludit Zfortius Oddus *de Restit. in Integ. part.* 1. *q.* 15. *n.* 5. *& ibid.* Aret. *in L. Moræ. ff. de Acq. hæred. n.* 3.

25. Ampliatur. Ut possit tolli non solùm directè sed & indirectè, Zfort. Oddus *dicto loco n.* 13.

26. Limitatur 1*mò*, Ut tale Statutum strictè debeat intelligi, ita ut v. g. si prohibeat de uno actu, non extendi debeat ad alium, nec ex identitate rationis. Paris. *cons.* 13. *n.* 45. Sic prohibens restitutionem contra Sententiam definitivam, non extendi debeat ad interlocutoriam. Præpost. *in Cap. ex ratione*

27. *n.* 71. *de Appell.* Limit. 2*dò*, ut non procedat in læsione enormissimâ, quia

28. tale Statutum daret occasionem mali, ideóque foret irrationabile. Limitatur 3*tiò*, ut non procedat in pupillis doli incapacibus, Zfort. Oddus *dicto loco.*

29. An Statutum, quod refert Specul. *in tit. de* 1*mo & 2do decret.* §. *Restat. n.* 14. vigere dicit Bononiæ, Decius *Cons.* 400. *n.* 8. *Florentiæ.* quod ob solam contumaciam debitoris in actione personali missus in possessionem ex

30. primo decreto lucretur fructus, rationabile sit? Etsi pro negativâ faciat, quòd iniquum videatur, ob solam levem contumaciam debitorem privare suâ possessione, quæ maximum commodum adferre solet; & quòd debitor

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

de Jure missus in possessionem ex primo decreto intelligatur tantùm missus
31. rei servandæ causâ, atque tædialis missio vocetur. Pro affirmativâ tamen concludo, quia in pœnam contemptûs Statutum contumacem commodo fructuum privare potest, quam pœnam debitor evitare potest. Jacob
32. Menoch. *de Retinen. posses. remed.* 3. *n.* 79. Ampliatur. Ut taliter Misso in possessionem *ex primo Decreto* vi Statuti competat Remedium possessorium, retinendæ, si in eâ possessione turbetur. Men. *dicto loco. n.* 177. Ratio est, quia commodum fructuum possessorem sequitur. *L. Fulcinius* §. *ult. ff. Ex quibus causis in posses. eatur.* Misso autem ex primo decreto simpliciter non competit remedium retinendæ, *L. Si duo. ff.* §. 8. *Uti poss.*

CAPUT III.

DE

Statutorum Divisione.

THESIS IV.

N. I. N hoc satis conveniunt Doctores, quòd Statutum sit personale, quando simpliciter disponit de personis, sive quando universus personæ status, sive conditio in dispositione Statuti vertitur, citra ullam rerum adjectionem, adeóque de personis agitur in abstracto absque ullâ consideratione rerum, ut verbi gr., quoto quis ætatis anno sui juris sit, quando exeat parentum potestate. &c. Argent. *ad Consuet. Britt. art.* 218. *Gloss.* 6. *n.* 7. Rodenburg. *in Tractat. de Jure quod oritur ex Statut. diverf. tit.* 1. *C.* 2. Burgund. *ad Consuetud. Fland. Tract.* 1. *n.* 1. *in med.* Voetz. *in Hist. Jul. n.* 54.

2. Et econtra, quòd indubitatè realia sint Statuta, quorum dispositio in solas nudasque res cadit, ut nullum hominis actum intervenire aut aliquam concurrere operam necesse sit; cujusmodi sunt, quibus rerum Successionibus ab intestato jus ponitur, veluti, ut bona Paterna Paternis, Materna Maternis cedant, bastardi Matribus, non Patribus succedant; & quibus successio modo in stirpes, modò in capita regulatur. Argent. *loco cit. n.* 8. Voetz. *in Histor. Iuliac. n.* 57.

3. Præterea satis & in eo conveniunt, quòd quædam sint Statuta circa solennia v. g. contractuum & testamentorum iis modum & formam præscribentia. Mævius *ad Jus Lubec. lib.* 3. *art.* 6. Voetz. *in Hist. Juliac. n.* 59. Rodenb. *in d.t. tit.* 2. *C.* 3. Burgund. *tract.* 4. *n.* 7.

4. Qualia verò sint Statuta, quæ ordinant personam ad actum peragendum, personam ad hunc actum habilitando, vel inhabilitando, v. g. ne conjux conjugi legare, uxor sinè consensu Mariti bona sua alienare possit, item Statutum permittens filium familias testari de adventitiis. Mirè inter se variant DDres & quidem

5. Primò, Bart. *in L. Cunctos. pop.* 1. *C. de Sacros. Trinit.* Quique eum secuti sunt, interesse putârunt, quâ orationis structurâ Statutum sit concinnatum, & ex verborum inversione aliud atque aliud de ejusdem Statuti conditione judicantes, ut si ita habeat Statutum: primogenitus capiat Bessem, Statutum tanquam à personâ orationem incipiens personale sit: ità verò conceptum: Bes capiatur à primogenito, à rebus sumpto orationis initio Statutum reale evadat; Hanc autem Bart. Sententiam meritò refellunt Argent. *loc. cit.*
6. *n.* 24. Statutorum personalitatem vel realitatem non à verborum structurâ,

sed

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf